HONORIUS AUGUSTODUNENSIS, UNVOLLSTäNDIG

Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh. Seite 1v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35480
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Heber innuitur qui omnia mirabilia dei narrauit qui ciuitatem gigantum
dissipauit. In domino confido Thare exprimit qui in domino confidit qui impia gentis
eum ignem adorare coegit cuius pars calicis ignis et sulphur fuit. Hi quoque
quatuor psalmi sub una gloria patri canuntur quia et illi patres in .iiii. uirtu
tibus rutilantes trinitatem adorasse noscuntur. Antiphona uero modulationis profert
deuotionem illorum laudationis. Tercia hora huius uigilie ab Abraham usque ad
Moysen fuerat in qua Abraham, Ysaac, Iacob et Ioseph uices uigilandi custodie
bant quod instantes plurimi proclamabant. Saluum me fac deus. Abraham exprimit
quoniam sanctus defecit, cum uidelicet ipse pene solus deum coluit et totus mundus idolatrie
deditus fuit. Usque quo domine obliuisceris. Ysaac innuitur cui dominus bona tribuit dum
Christi figuram in omnibus pretulit. Dixit insipiens. Iacob ostendit quem insipiens Laban
sicut escam panis deuorauit dum sepius eum defraudauit. Sed quia dominus spes eius
fuit sepius ab eo malum auertit unde exultauit Iacob et letatus est Israel. Domine quis
habitabit. Ioseph demonstrat qui sine macula est ingressus dum stuprum recusabat
et operatus est iustitiam dum populum a periculo famis liberabat. Hi quoque quatuor sub una gloria
patri clauduntur quia hii uigiles in .iiii. uirtutibus splendentes trinitatem
coluisse leguntur. Antiphona melodie est laus ab eis exhibita maiestati diui
ne. Sunt et iste antiphone quedam uigilum cantilene. Uersus qui sequitur a uertendo
dicitur eo quod se chorus uertit ad orientem et quia se uertit de psalmis ad lectionem.
Per orationem dominicam que secreto dicitur secretum consilium regis intelligitur. Per pater noster sacer
dos uerbum aperte dicens quasi rex mandatum legatis iniungit. Uicissitudines
lectorum successiones legatorum. Quod iube domne benedicere dicit qui licentiam
eundi petit. Benedictio uero sacerdotis est licentia imperatoris. Ipsa autem lectio est in
iuncte legationis executio. Tu autem domine reuersionem legati exprimit dum com
missum mandatum reddit. Lectiones quoque predicationem illorum parti proferunt
responsoria uitam eorum qua predicationi responderunt. Ideo autem per uigiliam
Abrahe lectiones leguntur quia ab eo primitus littere post diluuium reperte tradun
tur et ipse primus Chaldeos astronomiam docuit et Egiptios mathematicam
instituit. Ideo et peracta prima uigilia lectiones leguntur quia transacto primo
tempore libri legis ad doctrinam populi a Moyse traduntur.

## De secundo nocturno.

Secunda uigilia tempus legis accipitur quod tribus
temporibus horis discernitur dum tribus intersticiis diuiditur. Scilicet uno a Moyse
usque ad David. Secundo a David usque ad Babiloniam. Tercio a Babilonia usque ad Christum.